



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SS. Menodora, Metrodora, Nymphodora, VV. MM. 10. Sept.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

audislet (*Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*) quasi uni illi dictum esset, exemplò ad eos Anachoretas abiit, qui D. Augustinum emulantur. Ibi facile ostendit, quād mundum mundique omnia odisset. Sacerdos ubi primū litare cœpit, è piacularibus flammis umbra adfuit, abduxitque ad immania tormentorum ergastula. Ibi simul hæc, simul sociæ umbræ omnes patronum sibi NICOLAVM legerunt; pro quibus cùm ille ad aram aliquoties dixisset, partem longè maximam à suppliciis absolvit. Sub hæc cùm eum è cognatis unus aliquis à Religionis amore abducere & mundo iterum conciliare pessimè conciliatus adniteretur, surdum scilicet reperit. At faciles aures invenerunt è cælo vates, qui obiturum feliciter NICOLAVM Tolentini cecinerunt. Eò enim ocyus abiit, stellâ duce, quæ ibi demum constitit, ubi tumulatus postea fuit. Morituro jamjam Christus cum Matre & D. Augustino obvius venit, cùm sex ante mortem mensibus quotidie sub noctem Angelorum concentus audisset, manifesto indicio, quād non longè à cælo abest. Ex Surio.

*Vis scire quales Dominus querat ornatus? Habeto
Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam, Fortitudinem;
his cæli plagis includere; hec te quadriga velut aurigam
Christi ad metam concita ferat: nihil hoc monili
pretiosius.* S.Hieron.ep.2.

SS. MENODORA, METRODORA,
NYMPHODORA, VV. MM. 10.Sept.

Iterum Virgines Martyres aspicis; hoc est, rosas & candore & purpurâ suâ nobiles, pulcherrima virtutis mixturâ MENODORA est, METRODORA

& NYMPHODORA sorores & è Bithyniâ oriundæ. Hæ quò securior sive ab apertâ vi , sive proditione pudor foret, collem omnes desertū insederunt, munitum virtutis ingens & propugnaculum. Solæ tamen , et si maxime volebant , minimè potuerunt esse : virtus enim , ut ferè fit hospites, ex omni loco excivit ; & fuere crebra miracula ad convocandam multitudinem tubæ instar. Sed uti inter spectatores alios admiratores castitas , ita alios hostes habet. Inter hos infestissimū Frontonem vidisses omnibus machinis oppugnare virginitatis castrum.. At huic animus etiam crevit in pugnâ , auditaq; inter omnia tormenta una eademque omnium vox velut tessera pugnantium : *Agnosces Christe sponsas tuas coram Patre, quem coram hominibus neque sanguine fateri erubescimus.* Interea MENODORA inter virgas moriendo vincit , & salvum virginitatis scutum patriæ cælo ostentat. Sororibus ad demortuæ conspectum etiam animus accedit. Quare post faces ardentes & equuleum METRODORA , post uncos ferreos NYMPHODORA vectibus cæsæ geminarunt triumphum , in quo dum corpora in flamas projiciuntur , alia flamma cælo delapsa judicem omnemque tortorum manipulum momento in cineres vertit. At ex illis aliis flammis tergeminus cælo Phœnix prodiit & vanitatis accusavit, scilicet poëtas, unicum tantum esse jurantes. Ex Surio.

Sicut peccati cogitatio decolorat, affectio vulnerat, sic consensus omnino animam necat : caveamus ergo cogitationes inutiles, ut animarum nostrarum facies decora permaneat ; quod si noxia cogitatio subierit, laboremus citius ablucere sordes, quibus nos maculari conspicimus.
S. Bern. serm. de car. Cut. & Off.

S. EU.